Omnibus vna cauens fragilis discrimina sexus
 Publica ne pateant cauda pudenda tegit
Tempora nunc timeo que sitꝫ mihi iure timēda
 Nec timet incassum qui mala vota timet
Cumq; quid et passa simul passura recordor
 Hec ego sum semper dicere vi a mihi
Ecce dies venient veris musceq; resurgent
 Quas castigat ad huc cana pruina gelu
Cum calor estatis nimio feruore per agros
 Sperserit omne pecus terrueritq; greges
Musca grauis pestis qua nulla nocentior vnq̃
 Extitit in mundo vel magis atra lues
Dente graui musca totum spersura per orbem
 Percutiet pecudes nec sinit ire pedes
Nam leui saltu tanq; per mare volantes
 Morsibus et stimulis exagitabit eas
Ille dies caudam cunctis docet esse salubrem
 Et suus estatem preuenit augur hiems
Forte dies aderit in quo ni fallor egebit
 Vacca sua cauda quā modo spreuit ita
Illa dies caude faciet meminisse iuuencas
 Et steriles vaccas emeritosq; boues
Illa dies caude faciat meminisse Bicornem
 Qua mallet cauda non habuisse caput
Illa dies caudas in mundo faciet preciosas
 Que plus sitꝫ viles q̃ vetus olla modo
Illa dies dura multumq; tremenda per orbem
 Tanq; iudicij plena timoris erat
Illa dies caudas nostras numerabit. et illa
 Discernet pariter que bona que ve mala
Illa dies caudas nostras discernet vtrasq;
 Que bñ mundata que ve lutosa nimis
Hec est illa dies. veniet quoq; durus oester
 Tortor vaccarum pessimus atq; boum
Hec est illa dies. in qua si forte iuuenca
 Posset habere duas vellet habere decem


TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG